Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ut ostenderetur quid fiat de pluribus. Propterea unus sanabatur in illa piscina, et quisquis alius descendit non sanabatur. Ergo iste unus commendat unitatem ecclesiae. Vae illis qui oderunt unitatem, et partes sibi faciunt in hominibus. Audiant illum qui volebat eos unum facere in uno ad unum; audiant illum dicentem: Nolite facere multos. Ego plantavi, Apollo rigavit, deus incrementum dedit. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat deus. Illi dicebant: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephae. Et ille: Divisus est Christus? In uno estote, unum estote, unus estote. Nemo ascendit in caelum nisi qui de caelo descendit. Ecce volumus esse tui, dicebant Paulo. Et ille: Nolo sitis Pauli, sed eius estote cuius vobiscum est Paulus. Descendit enim et mortuus est, et ipsa morte liberavit a morte. Morte occisus mortem occidit. Et nostis fratres quia mors ista per diaboli invidiam intravit in mundum. Deus mortem non fecit, scriptura loquitur, nec laetatur in perditione vivorum. Creavit enim omnia ut essent. Sed quid ibi ait? Invidia enim diaboli mors intravit in orbem terrarum. Ad mortem a diabolo propinatam non veniret homo vi adductus. Non enim cogendi potentiam diabolus habebat. Si persuadendi versutiam non consentires, nichil invexerat diabolus ~~habebat~~. Si persuadendi versutiam non consentires, nichil invexerat diabolus. Consensio tua o homo te perduxit ad mortem. A mortali mortales nati, ex inmortalibus mortales facti; ab Adam omnes homines mortales. Ihesus autem filius dei, verbum dei per quem facta sunt omnia, unicus aequalis patri, mortalis est factus. Quia verbum caro factum est et habitavit in nobis. Ergo mortem suscepit, et mortem pependit in cruce, et de ipsa morte liberavit mortales. Quod in figura factum est apud antiquos commemorat illud dominus. Et sicut inquit Moyses exaltavit serpentem in heremo, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Magnum sacramentum, et qui legerunt noverunt. Deinde audiant vel qui non legerunt, vel qui forte lectum sive auditum obliti sunt. Prosternebatur in heremo populus Israel morsibus serpentium. Fiebat magna strages multarum mortium. Plaga enim dei erat corripientis et flagellantis, ut erudiret. Demonstratum est ibi magnum sacramentum rei futurae. Ipse dominus testatur in hac lectione, ut nemo possit aliud interpretari quam quod ipsa veritas de se indicat. Dictum est enim ad Moysen a domino ut faceret aeneum serpentem et exaltaret in heremo, et admoneret populum Israel ut si quis percussus esset a serpente, illum serpentem in ligno exaltatum intenderet. Factum est; mordebantur homines, intuebantur, sanabantur. Quid sunt serpentes? Peccata de mortalitate carnis. Quis est serpens exaltatus? Mors domini in cruce. Quia enim a serpente mors, per serpentis effigiem figurata est mors. Morsus serpentium letalis, mors domini vitalis. Attenditur